



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

72. Quis homicidium commisit in scalis Ecclesiae & postea inventus est in Ecclesiae? quæritur, an gaudeat Immunitate? Idem dicendum est, si quis occiderit aliquem in atrio, seu portali, & super tectum, ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

debeat, vt se tueatur. Sicut etiam qui de improviso in errore incidit, sic vt nunquam antea de facinore cogitarit, ita quoque affirmandum est ne de refugio quidem cogitasse. Quare quotiescunque consilium, atque deliberatio delictum praevenerit, & reus ad Ecclesiam confugerit, id consulto factum, ideoque loci sacri immunitate defendi non posse certissimi iuris est. Hucusque Sarpus.

2. Sed hanc sententiam maximè post constitutionem Gregorianam ego reprobaui in *part. 1. tract. 1. res. 3.* cum multis Doctoribus; quibus nunc addo Castrum Palatum *tom. 2. tractat. 1. diff. 1. vnic. punct. 9. numer. 21.* Layman *lib. 4. tractat. 9. cap. 3. numer. 7.* & Bonaciam *tom. 2. diff. 1. 3. quest. 7. punct. 6. §. 2. n. 12.* Quia qui tempore Iubilaei spe absolutiois virtute Iubilaei obtinenda patrat delicta reservata, vel annexam excommunicationem habeant, potest absolui, quandiu privilegium absolventi perseverat. Ergo, &c. Secundò qui propè Ecclesiam sine spe immunitatis patrat delicta, gaudet immunitate, si ad Ecclesiam confugiat; ergo eadem gaudere potest, etiam si patret delicta spe immunitatis, summus enim Pontifex respexit delicti qualitatem, & iniuriam Ecclesiae, non verò spem. Tertio, qui in eo loco quis puniri debet, in quo deliquit; sed hic non deliquit in Ecclesia, sed extra; ergo puniri debet extra; ergo non debet priuari immunitate Ecclesiae. Quarto, quia non est facienda extensio ad casus in Bulla non expressos, sed in Bulla exprimuntur solum patrans homicidia, vel mutilationes membrorum in Ecclesiis, vel eorum cæmeteriis: ergo, &c. Et ideo hanc sententiam etiam in terminis iuris communis docet P. Suar. *de Relig. tom. 2. lib. 3. c. 11. n. 9.* vbi sic ait: Couarruias hanc exceptionem extendit ad eum qui deliquit propè Ecclesiam spe confugiendi ad illam, quando de tali spe per coniecturas constare potest: vult enim illi nō gaudere immunitate Ecclesiastica. Verum hæc non videntur mihi sufficere ad extendendam legem prædictam, & quodammodo coarctatam immunitatem Ecclesiasticam: præsertim quia textus distinctè loquitur de Ecclesia & cæmeteriis eius; ergo in virtute ponit exclusivam, vt tantum de illis locis loqui videatur. Item qui propè Ecclesiam peccat absque spe immunitatis, non priuatur illa, vt aperte Couarruias supponit, sed peccare cum spe, vel sine illa non variat in præsentem effectum illius legis: vt ipse etiam fateatur; ergo neque in præsentem refert. Et hæc omnia docet Suarez.

3. Ex quibus corruunt ea, quæ supra adducit Sarpus: & ideo nostram sententiam ex supra dictis, & aliis rationibus firmat nouissimè Nouarius in *summa Bullar. tit. de immunitat. numer. 5.* Alexander Spirellus in *decisionibus for. Ecclesiastic. decis. 60. & 61.* vbi docet occidentem in scalis, porticu, & Sacriaria Ecclesiae, etiam sub spe ad illam confugiendi, immunitate gaudere; & me citato hanc sententiam amplectuntur alij quatuor Doctores recentiores, Ciarlinius *controvers. forens. cap. 10. numer. 95.* & Maranta in *controvers. iur. part. 2. respons. 45. numer. 10.* & seq. & nouissimè Trullench in *Decal. tom. 1. lib. 1. c. 11. dub. 3. numer. 13.* & Zambellus in *Reper. Moral. ver. Ecclesia quoad eius immunitatem. numer. 6.*

4. Nec valet dicere cum Sarpo, quod qui deliquit sub spe immunitatis, indignus est tali privilegio, ex cap. fin. de immunitat. & ex c. quando de consecrat. dist. 1. & cap. illud de Cler. excomm. alias Ecclesia Dei fieret spelunca latronum; nam eiusdem immunitas occasionem præberet perditis hominibus liberius viuendi & delicta perpetrandi, contra textum in cap. est. in iusta 24. quest. 4. Nam respondeo assumptum Sarpi non esse tutum, neque immunitatis fidu-

ciam in dicto cap. fin. apponi pro causa finali, sed in verbis narratiuis facti; ex quibus non desumitur dispositio, nec inducitur mysterium iuris. Adde, & hoc est valde notandum, quod indignus est immunitate sub spe peccans, si eius delictum & persona spectetur: vt immunitas non ipsi propter ipsum, sed ipsi propter sacrum locum concedatur, qui est omni privilegio dignissimus. Neque inde fit fieri Ecclesiam speluncam & asyllum latronum, tum quia ibi non perpetrantur delicta, tum quia ibi existentes corrigi & frænari à iudice Ecclesiastico possunt: tum denique quia, vt ego olim assereram. Excellentissimo Duci Alcaeni, non est Ecclesiae imputandus abusus illuc confugientium: cum ipsa solum prætentat fauere miseris eos à pena liberando, non autem fouere eorum malitiam & facinora.

5. Nec ad ea, quæ superius diximus, terreat, Amice Lector, Decretum Clementis VIII. ad Archiepiscopum Panormitanum, nam nihil facit aduersus nostram sententiam, vt latè apparet per ea, quæ nouissimè adducit Ciarlinius in *controvers. forens. c. 10. num. 93.* & sequent. omnino viuendus. In cuius Decreti intelligentia deceptus est nouissimè Danza in *Pugna. Doctorum, tom. 1. tit. de immunitate, cap. 2. num. 6.* Vnde ex supradictis venit refellendus Barbosa de iur. Ecclesiast. lib. 2. cap. 3. num. 109. vbi me citato pro sententia, quam supra firmamus, ipse adhuc tenet delinquentem spe confugiendi ad Ecclesiam eius non gaudere immunitate; quod etiam nouissimè docuit alter Lusitanus Fragofo in *Regim. Republ. Christ. part. 1. lib. 4. diff. 1. §. 2. num. 274.* Sed non bene.

Sup. hoc supra in Res. 58. §. Sed tu. ad med. & in aliis eius annotationum.

RESOL. LXXII.

Si quis homicidium commisit in scalis Ecclesia & porticu inuenus est in Ecclesia; quaritur, an gaudeat Immunitate?

Idem dicendum est, si quis occiderit aliquem in atrio, seu porticu, & super tectum, vel ostium Ecclesia. Ex part. 3. tract. 1. Res. 39.

§. 1. Hæc casus olim accidit, & de illo interrogatur Megala in *3. part. cap. 2. q. 1. num. 17.* Peregrin. *tract. de immunit. Eccles. cap. 6. num. 32.* & vir doctus Aloysius Riccius *part. 3. decis. 250. per tot.* quidquid in contrarium ante Bullam Gregorianam dixerint Angelus de Castro, & Decianus, quos citat & reprobat Peregrinus *vbi supra*; & ratio est manifesta, in illis verbis Bullæ ibi, *Mutilante, vel occidente in Ecclesiis, seu Cæmeteriis.* Ergo qui mutilat, vel occidit extra Ecclesiam, vel Cæmeteria, gaudebit immunitate.

Sup. contento in hac Res. supra in Resolut. 28. §. Oritur. & pro parte scilicet & porticu Ecclesiae, in Res. prædicta, §. Ex quib. & in Res. 6. §. Sed his, à lin. 4.

2. Dicendum est igitur, quod occidentes, vel mutilantes in aliis locis, qui hac immunitate gaudent, ab illa non excipiuntur, sicut excipiuntur occidentes, vel mutilantes in Ecclesiis, vel Cæmeteriis. Ex quibus patet, quod si quis occideret aliquem in atrio, seu porticu, & super tectum, vel ostium Ecclesiae, gauderet immunitate, si post delictum in aliqua Ecclesia se absconderet, quia sic aliquem occidens, non occidit in Ecclesia; sed in locis extra Ecclesiam, licet vt obseruat Villalobos in *summa tom. 2. tract. 39. diff. 3.* Fagundez *præcept. 2. lib. 2. cap. 4.* & alij communitet, eadem immunitate gaudeant.

RESOL.

\* Que hic est Relat. cedentes.

Sup. hinc in Res. 58. supra in Res. 28. Oritur. & in Res. 6. §. Sed his, à lin. 4.

INLATI  
ECCLESIA  
TO. X. c. X.  
E. III